*AUTHOR:*

HAUPT, MORITZ

*TITLE:*

EMENDATUR AMMIANI MARCELLINI HISTORIAE

*PLACE:*

BEROLINI

*DATE:*

1874

Master Negative #

93-81528-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

**BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET**

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG93-B4425         Acquisitions     NYCG-ME
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B4425            RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:     AD:05-20-93
  CC:9668  BLT:am     DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:      ATC:        UD:05-20-93
  CP:gw      L:lat    INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?     CON:???
  PC:s      PD:1874/          REP:?   CPI:?   FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:          COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Haupt, Moritz.
  245 10   Emendatur Ammiani Marcellini historiae‡h[microform].
  260      Berolini,‡bFormis academicis (G. Vogt),‡c1874.
  LDG      ORIG
  QD       05-20-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8-4-93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# INDEX
# LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

## GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

## VNIVERSITATE LITTERARIA
## FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XIII. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXXIV.

HABEBVNTVR.

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

## VNIVERSITATIS LITTERARIAE

### FRIDERICAE GVILELMAE

# RECTOR ET SENATVS.

Scholarum aestate anni MDCCCLXVIII habendarum tabulae praefiximus disputationem qua ingentem mendarum quibus Ammiani Marcellini Rerum gestarum libri inquinati sunt multitudinem aliqua parte minuere studuimus. quam disputationem nunc ita continuabimus ut quae vera nobis aut verorum similia videntur esse brevissime significemus. valet enim in hac etiam arte vetus illud *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ᾽ ἑρμηνευμάτων*, neque eis quae simpliciter indicata non excludunt dubitationem duraturum probabilitatis colorem operosa induces argumentatione.

Scribimus igitur XIV 6 16 *quos imitatae matronae complures opertis* CARPENTIS *et basternis per latera civitatis cuncta discurrunt.* erat *capitibus:* verum si basternae opertae erant, quid attinebat operire capita? neque bene ea quae videri nequeunt narrantur quasi in conspectu sint.

Cap. 9 2 haec leguntur, *sed cautela nimia in peiores haeserat plagas.* minus vitiosa oratione Ammianus scripsisse videtur *sed cautela nimia* PEIORES INHAESERAT *plagas.* ita locutus est Apuleius Met. VIII 16, *sed nequiquam frustra timorem illum satis inanem perfuncti longe peiores inhaesimus laqueos.*

Cap. 10 15 scribendum est *mox* ⟨VT⟩ *dicta finierat multitudo omnis ad quae imperator voluit promptior laudato consilio consensit in pacem* etc. nisi *ut* addideris non cohaeret oratio, quod alienum est ab Ammiano.

Cap. 11 6 scribimus *quae licet ambigeret metuens saepe cruentum, spe tamen quod eum lenire* POTERIT *ut germanum profecta, cum Bithyniam introisset in statione quae Caenos Gallicanos appellatur absumpta est vi febrium repentina.* scriptum erat *poterat,* quod defendi nequit. contra indicativus futuri refert Ammiani sermonem.

Eiusdem capitis paragrapho 15 scribendum est *emensis itaque longis intervallis et planis cum Hadrianopolim introisset, urbem Haemimontanam Vscudamam antehac appellatam,* FESSAS *labore diebus duodecim recreans vires conperit Thebaeas*

*legiones in vicinis oppidis hiemantes consortes suos misisse quosdam eum ut remaneret promissis fidis hortaturos et firmis, sui fiducia abunde per stationes locati confines: sed observante cura pervigili proximorum nullam videndi vel audiendi quae ferebant furari potuit facultatem.* legitur *fessasque*, oratione non recte procedente.

Libro XV 3 4 mendarum partem Salmasius, partem Valesius sustulit, sed uno verbo aliter correcto ita scribendum est, *et Paulo quidem, ut relatum est supra, Catenae inditum est cognomentum eo quod in conplicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis,* MIRA *inventorum sese varietate dispendens, ut in conluctationibus callere nimis quidam solent artifices palaestritae.* liber Fuldensis *intra* habet. id si in *mira* mutaveris, nihil amplius ad emendationem requiritur.

Eodem libro cap. 5 4 haec leguntur, — *et peniculo serie litterarum abstersa, sola incolumi relicta subscriptione, alter multum a vero illo dissonans superscribitur textus, velut Silvano rogante verbis obliquis hortanteque amicos agentes intra palatium vel privatos, inter quos et Tuscus erat Albinus aliique plures, ut se altiora coeptantem et propediem loci principalis aditurum.* nullum in libro Fuldensi spatium relictum esse Horkelius adnotavit, sed manifestum est aliquid excidisse. verba ipsa non possunt reciperari, sententiam requirimus huiusmodi, *ut se altiora coeptantem et propediem loci principalis* ⟨ADIVVENT CVLMEN⟩ *aditurum.* dixit *principale culmen* Ammianus XIV 6 1, *locum principalem* XVI 6 1 XXVII 6 6. quae secuntur ita fere scribenda sunt, *hunc fascem ad arbitrium figmenti* CONPOSITVM, *vitam pulsaturum insontis,* A DYNAMIO SVSCEPTVM *praefectus imperatori avide scrutari haec et similia* CONSVETO SECRETE ⟨OBTVL⟩IT SOLVS *ingressus, intimum* EAM PER REM SE FORE *deinde sperans ut pervigilem salutis eius custodem* ⟨ET FIDELEM⟩. liber Fuldensis haec praebet, *hunc fascem ad arbitrium figmenti co...... sit uitam pulsaturum insontes adynamus ceptum praefectus imperatori auide scrutari haec et similia censue ter$^r$,erete...... id sole ingressus intimum caperem tempore deinde sperans ut peruigilem salutis eius custodem ........* in emendatione nostra non nulla incerta sunt, certa autem *consueto* et *eam per rem se fore.* Valesio debentur *a Dynamio susceptum* et *solus. insontis* Castellus dedit.

Cap. 8 3 inde a Gelenio scribitur *post multaque per deliberationes ambiguas actitata stetit fixa sententia abiectisque disputationibus inritis ad imperium placuit Iulianum adsumere. cum venisset accitus praedicto die, advocato omni quod aderat commilitio tribunali* ⟨*ad*⟩ *altiorem suggestum erecto, quod aquilae circumdederunt et signa, Augustus inscendens eumque manu retinens dextera haec sermone placido peroravit.* cum autem *adsumet* sit in libro Fuldensi, praestat scribere ADSVMERE, ET *cum* etc., ut melius cohaereat oratio. mox *inscendens* Gelenius dedit, Fuldensis liber *insiginens* habet. sed inscendendi verbum praeter consuetudinem cum dativo casu coniungitur. itaque melius est Valesii *insistens.*

Libro XVI 12 1 egregiae emendationi aliquid addendum est. leguntur haec, *quo dispalato foedo terrore Alamannorum reges Chnodomarius et Vestralpus, Vrius quin etiam et Vrsicinus cum Serapione et Suomario et Hortario in unum robore virium suarum omni collecto consedere prope urbem Argentoratum* etc. Gelenii est *consedere:* Fuldensis enim liber habet *belli. Cumq; foedere.* non videtur neglegendum esse illud *belli*, sed scribendum *in unum robore virium suarum omni collecto* BELLICO CONSEDERE etc.



Eodem capite paragrapho 6 scribimus *Alamanni enim scutorum insignia contuentes norant eos milites permisisse paucis suorum latronibus terram, quorum metu aliquotiens* ANTEQVAM *gradum conferrent amissis pluribus abiere dispersi.* est enim in libro Fuldensi *inaliquā*. eandem emendationem fecit doctus et subtilis vir C. F. W. Muellerus in Annalium philologicorum anni MDCCCLXIII parte tertia, quae dum haec scribimus (scribimus autem mense octobri) commodum adfertur.

Paragrapho 14 scribendum est *accessit huic alacritati plenus celsarum potestatum adsensus maximeque Florentii praefecti praetorio, periculose quidem, sed ratione secunda pugnandum esse censentis dum* STARENT *barbari conglobati, qui si diffluxissent, motum militis in seditiones nativo calore propensioris ferri non posse aiebat, extortam sibi victoriam, ut* PVTABIT, *non sine ultimorum conatu graviter toleraturi.* leguntur *instarent* et *putavit:* quorum alterum alienum a sententia, alterum molestum est. indicativus futuri tam convenit sermoni scriptoris quam quem XIV 11 6 restituimus.

Paragrapho 17 Valesius dedit *sed paulo postea uno ex his Gundomado, qui potior erat fideique firmioris, per insidias interempto omnis eius populus cum nostris hostibus conspiravit, et confestim Vadomarii plebs, ut adserebat, agminibus bella cientium barbarorum sese coniunxit.* recte sane inprobavit Valesius Gelenii *adserebant*, sed animadvertere debebat non integram esse sententiam. et vacuum est ante *ut adserebat* in libro Fuldensi conplurium syllabarum spatium. Ammianus huiusmodi quid videtur scripsisse, *et confestim Vadomarii plebs,* ⟨IPSO REPVGNANTE⟩, *ut adserebat, agminibus* etc.

Paragrapho 52 ita fere scribendum est, *et secans terga cedentium miles, cum interdum flexis ensibus feriendi non suppeterent instrumenta,* ⟨EREPTA⟩ *ipsis barbaris tela eorum vitalibus inmergebat.* eiusmodi enim participium oratio manifesto requirit.

Paragrapho 63 scribendum est, ut videtur, *ex Alamannis vero sex* AMPLIVS *milia corporum numerata sunt.* habet enim liber Fuldensis *sexaliis milia.*

Mox paragrapho 65 ita scribimus, *et ut augeret eventus laetitiam, concilio* OMNI SPECTANTE *Chnodomarium sibi iussit offerri.* praebet enim Fuldensis liber *concilio ...... muspeciare.*

Libro XVII 4 21 scribimus Ἥλιος θεὸς μέγας, δεσπότης οὐρανοῦ, δεδώρημαί σοι βίον ΑΠΡΟΣΚΟΠΟΝ. legitur apud Gelenium ἀπρόσκορον, quod nihili est. occupata est emendatio in Thesauro Stephani t. I 2 p. 1824.

Cap. 10 2 scribimus *ut in Tageticis libris legitur* VEL BEGOICIS *fulmine mox tangendos adeo hebetari ut nec tonitrum nec maiores aliquos possint audire fragores.*

est enim in libro Fuldensi *uegonicis*. hinc Prellerus Mythol. Rom. p. 235 *Vegoiicis* scribendum esse coniecit. nos *vel* addendum esse censuimus et maluimus *Begoicis* scribere quam Gromaticorum (p. 348 et 350) exemplar sequi. Servius in Aen. VI 72 *qui libri* (Sibyllini) *in templo Apollinis servabantur, nec ipsi tantum, sed et Marciorum et Begoes* (*Bygois* Dan.) *nymphae, quae artem scripserat fulguritarum* (*fulguritorum?*) *apud Tuscos.*

Paragrapho 5 legitur *quod ita recte dispositum est inpraepedite conpletum, Hortari nomine petendus erat regis alterius pagus* etc. hiat oratio neque *conpletum* habet liber Fuldensis, sed *conpleto.* itaque scribendum est QVO *ita recte* DISPOSITO ET *inpraepedite conpleto Hortari* etc.

Paragrapho 7 orationem ita redintegramus, *his malis percussus rex cum multiplices legiones vicorumque reliquias cerneret exustorum, ultimas fortunarum iacturas adesse iam contemplatus oravit ipse quoque veniam* FACTVRVMQVE *se imperanda iurandi exsecratione* ⟨CAPTIVOSQVE⟩ *restituere universos promisit (id enim cura agebatur inpensiore); detentisque plurimis reddidit paucos.* scriptum erat *facturum.* neque bis hiare potuit oratio neque omitti captivorum nomen.

Cap. 13 31 ita scribimus, DVPLEX *igitur praemium, quod unus procinctus absolvit, nos quaesivimus et res publica, primo ultione parta de grassatoribus noxiis, deinde quod vobis abunde sufficient ex hostibus captivi. his enim virtutem oportet esse contentam quae sudore quaesivit et dexteris. nobis amplae facultates opumque sunt magni thesauri* ⟨SI⟩ *integra omnium patrimonia nostri labores et fortitudo servarint.* scriptum erat *quadruplex:* sed duo conmemorantur procinctus unius praemia, non quattuor. deinde ut apta et iusta fiat sententia *si* necessario addendum est.

Libro XVIII 4 5 scribendum est sine dubitatione *quod ni contigisset, quis eorum ferret examina quorum* RARITAS *difficile toleratur?* legitur in Fuldensi libro *paritas.* scripserunt *paucitas,* maiore quam opus erat mutatione: nam Valesii *parvitas* omnino repudiandum est.

Cap. 6 7 scribimus *agitatis* ITAQVE *rationibus diu cunctati reversique fastidii plenum Sabinianum invenimus* etc. liber Fuldensis habet *Agitatis ita siuerationibus,* ex quo sine ratione fecerunt *agitati ita sine rationibus.*

Paragrapho 11 nulla causa est quin scribamus *nec multum* AFVIT *quin caperer.* legitur *fuit:* verum communem in hac dicendi ratione Ammianus sequitur consuetudinem.

Libro XIX 1 4 uno verbo correcto hians oratio ita conplenda est, *verum caeleste numen, ut Romanae rei totius aerumnas intra unius regionis concluderet ambitum, adegerat in inmensum se extollentem,* CREDENSQVE *quod viso statim obsessi omnes metu exanimati supplices venirent in preces portis obequitabat comitante cohorte regali. qui dum se prope confidentius inserit* etc. scriptum erat *credentemque.*



Capite 10 4 Fuldensis liber haec habet, *moxque divini arbitrio numinis, quod auxit ab incunalibus Romam perpetuamque fore spondit.* olim recte factum est *incunabulis.* tum leni mutatione scripserunt *respondit.* scribendum potius est, mutatione non maiore, sententia autem meliore, SPOPONDIT.

Libro XX 2 4 concinnior fit oratio si ita scribimus, *etsi me, inquit, despicit imperator, negotii tamen* ⟨TANTA⟩ *est magnitudo ut non nisi iudicio principis nosci possit et vindicari.*

Cap. 7 5 nihil excidit, sed scribendum est *deinde datis indutiis die totius et noctis ante alterius lucis initium Persarum populus omnis adortus avide vallum, acriter minans ac fremens, ubi ad ipsa moenia confidenter accessit dimicabat vi magna resistentibus oppidanis* EAQVE RE *sauciabantur plerique Parthorum quod pars scalas vehentes, alii opponentes vimineas crates velut caeci pergebant introrsus, nec nostris innocuis.* habet liber Fuldensis *oppidanis et quaeres aucisbantur.* frequentat Ammianus *ea re quod* XVI 7 4 XVII 9 6 XVIII 3 6 XIX 2 10 XX 11 13 XXI 13 16 XXIII 4 7, 5 6, 6 20 XXVI 6 17, 10 14 XXVII 3 4 XXIX 3 4, 6 19 XXX 7 2 XXXI 10 13.

Capite 11 17 haec scripta sunt, *verum post ambiguam proelii virtutem plurimi nihil inpetrato intra moenia repelluntur.* dixit Ammianus XVII 5 15 *hanc legationem nullo inpetrato remissam,* neque aliter hic videtur locutus esse. eadem est sententia Muelleri.

Capitis eiusdem paragrapho 32 scribimus *quas ob res omisso vano incepto hiematurus Antiochiae redit in Syriam,* AERVMNOSA *perpessus* VVLNERA ET *atrocia diuque deflenda.* ducunt eo quae liber Fuldensis praebet *aerumnosam perpessus etulerint sed atrotia,* neque mutandi audaciam mirabitur qui bene norit quam monstrose saepe in eo libro vel tritissima verba depravata sint. vulnera, ut multi alii, figurate dixit Ammianus XVII 2 3 XXVI 7 16 XXVII 5 4 XXX 5 3. *post aerumnosas iacturas et vulnera* legimus XXVII 1 1.

Libro XXI 5 2 scribendum est *plus enim audire quam loqui militem decet actibus coalitum gloriosis nec alia spectatae aequitatis sentire rectorem quam ea quae laudari digne* POTERVNT *et probari.* non potest retineri *potuerunt* quod liber Fuldensis habet.

Cap. 10 2 scribimus *nihil deinde amoto Lucilliano differendum nec agendum segne ratus, ut erat in rebus trepidis audax et confidentior, civitatem ut praesumebat dediticiam petens citis passibus incedebat eumque suburbanis propinquantem amplis nimiumque protentis militaris et omnis generis turba cum lumine multo et floribus votisque faustis Augustum adpellans et dominum duxit in regiam.* QVI *eventu laetus et omine, firmata spe venturorum quod ad exemplum urbium matris et populosae et celebris per alias quoque civitates ut sidus salutare susciperetur, edito postridie curuli certamine cum gaudio plebis ubi lux excanduit tertia morarum impatiens percursis aggeribus publicis Succos nemine auso resistere praesidiis occupavit isdemque tuendis Nevitam praefecit ut fidum.* fecimus *qui* ex *ubi,* quod ineptum est.

Cap. 12 10 scribendum est — *subterque expediti velites a turrium cavernis egressi iniectis ponticulis quos ante conpaginarant transgredi festinarunt indiviso negotio, ut dum vicissim missilibus se petunt et saxis utrimquesecus alte locati hi qui transiere per pontes nullo interpellante aedificii parte convulsa aditus in penetralia reserarent.* VERVM *summa coepti prudentis aliorsum evasit.* scriptum est *iterum*, sed nihil hic iteratur.

Paragrapho 17 haec leguntur, — *placuit resistentes acriter ad deditionem siti compelli, et ubi aquarum ductibus intersectis nihilo minus celsiore fiducia repugnarent flumen laboribus avertitur magnis. quod itidem frustra est factum: attenuatis enim avidioribus bibendi subsidiis hi quos temeritas clauserat contenti putealibus aquis parce vixerunt.* dici aliquis potest avidius bibere et locutus ita est Ammianus alibi, sed nulla sunt avidiora bibendi subsidia. putet fortasse quis ipsum illud *avidius* esse restituendum: nos praestare arbitramur VIVIDIORIBVS.

Cap. 13 16 fortasse huiusmodi quid Ammianus scripsit, *omnes post haec dicta in sententiam* ⟨IBANT⟩ *suam hastasque vibrantes irati post multa quae benivole responderant petebant duci se protinus in rebellem.* nam *traxerat* quod Gelenius ante *in sententiam suam* addidit non videtur sumpsisse e libro Hersfeldensi.

Libro XXII 1 2 scribimus *cumque ille timeret* ⟨*ne*⟩ *cupiditati suae congruentia fingerentur* ERATQVE *ideo maestus, omen multo praesentius ipse conspexit, quod excessum Constantii clare monstrabat.* recte a Gelenio *ne* additum est. tum scriptum erat *atque:* sed verbum non potest omitti. suspendit Ammianus ex *cum* coniunctione primum coniunctivum, deinde indicativum XIV 2 13 XIX 6 13 XXV 9 5.

Cap. 4 3 scriptum est *ab egestate infima ad saltum sublati divitiarum ingentium.* dixit Ammianus XXVI 6 7 *ex praeposito Martensium militum promotus repentino saltu patricius* scribendumque est XIV 1 1 *ex squalore imo miseriarum in aetatis adultae primitiis ad principale culmen insperato saltu provectus*, quam emendationem Adolphus Kiesslingius praecepit: sed saltus ille divitiarum absurdus est. scribendum esse videtur *ad* ALTVM.

Cap. XXII 8 16 scriptum est *Cerasus, unde advexit huius modi poma Lucullus.* non credendum est Ammianum tam neglegenter, immo tam inepte locutum esse. scripsit potius *huius* NOMINIS *poma.*

Cap. 9 1 haec leguntur, *at prosperis Iulianus elatior ultra homines iam spirabat, periclis expertus adsiduis quod ei orbem Romanum placide iam regenti velut mundanam cornucopiam Fortuna gestans propitia cuncta gloriosa deferebat et prospera, antegressis victoriarum titulis haec quoque adiciens quod dum teneret imperium solus nec motibus internis est concitus nec barbarorum quisquam ultra suos exsiluit fines: populi omnes aviditate semper insectari praeterita ut damnosa et noxia in laudes eius studiis miris accendebantur.* postrema neque congruunt satis cum reliqua sententia neque verum est populos semper avide insectari praeterita neque cohaeret oratio cum eis quae praecedunt, *sed* autem quod ante *populi* addunt non est



aptum. suspicamur scribendum esse POPVLIQVE *omnes* AVIDI TEMPORA *insectari praeterita* etc.

Paragrapho 11 haec narrantur, *quo taedio Iulianus defetigatus ad largitionum comitem visum propius 'iube' inquit 'periculoso garrulo pedum tegmina dari purpurea ad adversarium perferenda, quem, ut datur intellegi, chlamydem huius coloris memorat sibi consarcinasse, ut sciri possit sine viribus maximis quid pannuli proficient leves.'* scribebatur *garruto*, quod olim correximus. verum ne *periculoso* quidem recte se habere videtur: scriptum autem esse dicitur in libro Fuldensi *perricoloso.* cur periculosum Iulianus vilem istum hominem, ut antea dicitur, adpellarit nulla nobis satis idonea adparet causa. videtur potius pauperem et sordidum graviore aliquo convicio notasse. quare suspicamur fortasse scribendum esse PEDICVLOSO. quod vocabulum praeter Martialem XII 59 8 Onomasticon vetus habet, in quo est *pediculosus* φθειριῶν.

Cap. 10 2 certiore emendatione scribimus *iudicium enim hoc est optandum et rectum ubi per varia negotiorum examina iustum* IDEM *est et iniustum.* scriptum erat *id*, sed *idem* requirit sententia. hoc enim dicitur, rectum esse iudicium ubi idem semper habetur iustum pariterque idem iniustum.

Cap. 14 6 scribendum esse putamus *exin sacrorum perfecto ritu digresso offeruntur rectoris Aegypti scripta Apim bovem operosa quaesitum industria tamen post tempus inveniri potuisse firmantis, quod, ut earum regionum existimant incolae, faustum* EST, *ubertatem frugum diversaque* INDICANS *bona.* habet liber Fuldensis *faustum et ubertatem frugum diversaque indicant bona.*

Mox paragrapho 7 emendationem, quae non bene successit neque Salmasio neque Valesio, ita temptamus, *est enim Apis bos diversis genitalium notarum figuris expressus maximeque omnium corniculantis lunae specie latere dextro insignis. qui cum post vivendi spatium praestitutum sacro fonte inmersus e vita abierit (nec enim ultra eum trahere licet aetatem quam secreta librorum praescribit auctoritas mysticorum), necatur* CHORAGIO PARI *bos femina* ⟨*quae ei*⟩ *inventa cum notis certis offertur.* in libro Fuldensi haec leguntur, *necatur horago arei bos femina inventa.* utitur Ammianus choragii vocabulo XXIX 1 29, — *inprecationibus carminum secretorum choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam.* tum scribi etiam potest *pari et.* denique quod addidimus *quae ei* Salmasio debetur.

Cap. 15 32 orationem ita conplendam esse censemus, *quae quoniam miracula multa sunt* ⟨ET⟩ *opusculi nostri propositum excedentia, ad ingenia celsa reiciamus, pauca super provinciis narraturi.*

Quae cap. 16 14 de Canopo dicuntur ita corrigimus, AMOENVS *inpendio locus et diversoriis laetis extructus, auris et salutari temperamento perflabilis, ita ut extra mundum nostrum morari se quisquam arbitretur in illis tractibus agens cum saepe aprico spiritu inmurmurantes audierit ventos.* scriptum erat *hactenus*, sententia

nulla. non valde inter se differunt *amoenus* et *actenus*, ut scriptum est in libro Fuldensi XXIV 2 1, neque omnino rara est haec adspirationis abiectio. etiam hanc emendationem videmus non fugisse Muellerum.

Libro XXIII 5 16 scribendum esse videtur *namque ut Lucullum transeam vel Pompeium, qui per Albanos et Massagetas, quos Alanos nunc appellamus, hac quoque natione perrupta* ADIVIT *Caspios lacus* etc. in libro Fuldensi est *uidit caspius lacus.* scribendum esse *Caspios lacus* olim viderunt; nisi praestat CASPIVM LACVM.

Cap. 6 30 Ammianum dedisse existimamus TONDENT *apud eos prata virentia fetus equorum nobilium, quibus, ut scriptores antiqui docent nosque vidimus, ineuntes proelia viri* SVMMATES *vehi exultantes solent, quos Nesaeos appellant.* liber Fuldensis *dent* et *utri summa vehi* habet. Gelenius cum *dent* in *sunt* mutavit non animadvertit dissolutam se relinquere orationem. idem *viri* recte scripsit, sed minus bene *summa vi vehi.* quod posuimus *viri summates* optime congruit cum vulgata rei memoria. Strabo XI p. 525 τοὺς δὲ Νησαίους ἵππους, οἷς ἐχρῶντο οἱ βασιλεῖς ἀρίστοις οὖσι καὶ μεγίστοις. idem p. 530 οἱ Νησαῖοι ἵπποι —, οἷσπερ οἱ Περσῶν βασιλεῖς ἐχρῶντο. *summatem virum* dixit Ammianus XIV 6 12. quod *tondent* scripsimus, non dedecet Ammianum poeticum dicendi genus. magis etiam poetatur Apuleius Met. V 25, *proxime ripam vago pastu lasciviunt comam fluvii tondentes capellae.* nuper fuisse qui *edunt* scribere vellet propterea conmemoramus ut recentium ineptiarum exemplum demus saltem unum de multis.

Quae proxima paragrapho secuntur in libro Fuldensi ita scripta sunt, *abundantiaque civitatibus quibus Media et vicis in modum oppidorum exstructis et multitudine incolarum quae* (*utque* vere Gelenius) *absolute dicatur uberrimum est habitaculum regum.* quod fecerunt *abundant aeque civitatibus quibus Media* dudum oportuit repudiari. nam non solum *quibus* ineptum est (dicendum enim erat *quam*), sed omnia perversa sunt. neque enim Media secum conparari potest ipsa: non est autem sermo nisi de Media. potest, ut videtur, Ammianus scripsisse ABVNDATQVE *civitatibus* DITIBVS *Media.*

Eiusdem capitis paragrapho 66 scribendum est *incolunt autem fecundissimam glaebam variae gentes, e quibus* ANTHROPOPHAGI *et Annibi et Sizyges et Chardi aquilonibus obiecti sunt et pruinis.* Anthropophagos in illis qui describuntur tractibus conmemorant non tantum Mela II 1 13 Plinius IV § 88 VI 53 VII 11 Solinus 15 4 et 13, 50 1 Ptolemaeus VI 16 4, sed ipse etiam Ammianus XXXI 2 15. quod Fuldensis liber habet *alitrofagi* nihil aliud recondere quam *antrofagi* idque ex *anthropophagi* ortum esse non dubitabit qui depravationem eius libri satis novit. perversum, ut saepe, fuit iudicium Isaaci Vossii cum *Androphagi* latere putavit.

Paragrapho eiusdem capitis 80 haec leguntur *nec ministranti apud eos famulo mensaeque adstanti hiscere vel loqui licet vel spuere: ita prostratis pellibus labra omnium vinciuntur.* neque *prostratis* intellegitur neque Gelenius consulto dedisse videtur *prostrati.* scripsit Ammianus fortasse PRAESTRICTIS.



Libro XXIV 6 14 haec legimus *sonent Hectoreas poetae veteres pugnas, fortitudinem Thessali ducis extollant, longae loquantur aetates Sophanem et Aminiam et Callimachum et Cynaegirum, Medicorum in Graecia fulmina illa bellorum.* in libro Fuldensi et apud Gelenium legitur *culmina.* recte scripserunt *fulmina* et videri potest nihil amplius ad emendationem requiri: quamquam *in Graecia* inutiliter additum est. sed in libro Fuldensi scriptum quidem est *in graecia*, sed supra *rae* litteras adpositum *en.* hinc scribendum est *Medicorum* INGENTIA *fulmina illa bellorum.*

Quae eiusdem libri cap. 8 6 leguntur non dubitandum est ita esse emendanda, *quidam arbitrabantur* ARSACEN AC *duces adventare iam nostros rumoribus percitos quod imperator Ctesiphonta magnis viribus oppugnaret, non nulli Persas nobis viantibus incubuisse firmabant.* liber Fuldensis habet *arbitrabantur sacenae duces.* de Arsace Armeniae rege quae huc quadrant dicta sunt XXIII 2 2. occupavit emendationem, nisi quod *et* scripsit, Martinus des Amorie van der Hoeven in Specimine litterario p. 49.

Libro XXV 3 6 scribendum esse suspicamur *et incertum* ⟨VNDE⟩ *subita equestris hasta cute brachii eius praestricta costis perfossis haesit in ima iecoris fibra.* fuisse enim qui non hostili hasta Iulianum percussum esse crederent Libanii opinio ostendit Christianos insimulantis t. I p. 614 Reiskii.

Capitis eiusdem paragrapho 11 haec narrantur, *contra animosius Persae sagittarum volantium crebritate conspectum sui rapiebant oppositis, quos elephanti tardius praecedentes magnitudine corporum cristarumque horrore pavorem iumentis incutiebant et viris.* non offenderunt cristae illae homines doctos, quasi numquam vidissent elephantum. sed vidit Ammianus neque dubitari potest aliud eum scripsisse. leniore emendatione frustra quaesita in hanc delati sumus opinionem ut STRIDORVMQVE scribendum esse coniceremus. nam stridorem elephantorum Ammianus aliquotiens similiter conmemorat. XIX 7 6 — *elephantorum agminibus, quorum stridore inmanitateque corporum nihil humanae mentes terribilius cernunt.* XXV 1 14 — *elephantorum fulgentium formidandam speciem et truculentos hiatus vix mentes pavidae perferebant, ad quorum stridorem odoremque et insuetum aspectum magis equi terrebantur.* XXV 3 4 *faetorem stridoremque elephantorum inpatienter tolerantibus nostris:* nam quod ibi nuper e libro Fuldensi reductum est *faetorem elefantorumque stridorem* probari nullo modo potest; lenius fortasse scribitur *f. elephantorum* ATQVE *stridorem.*

Paragrapho eiusdem capitis 18 *sciens quod* mutandum esse in *gestiensque* diximus in priore commentario p. 16: insulsum est *gestiensque* recepto servare *quod.* quae ibidem p. 15 de eis scripsimus quae XXII 16 2 leguntur adhuc putamus esse probabilia, quamquam contempta nuper sunt: verum *Antinoi* non consilio omisimus, sed casu.

Cap. 6 8 scribimus *egressi exinde proxima nocte Charcham occupavimus locum, ideo tuti quod riparum aggeribus* HVMANA MANV STRVCTIS, *ne Saraceni deinceps Armeniam persultarent, nostrorum agmina nullus ut ante vexabat.* praebet Fuldensis liber *humanam andistructis.* ineptum est quod scripserunt *humana manu destructis.* in exemplari cuius apographum liber Fuldensis est fuit haud dubie *manu istructis.*

Eiusdem capitis paragrapho 11 cohaerebit oratio si ita scribitur, *nam progredientes nos sequebantur crebris*⟨QVE⟩ *lacessitionibus retrahentes* ⟨ET⟩ *cum staremus ut pugnaturi gradum sensim referentes moris diuturnis excruciabant.*

Paragrapho 13 scribimus *sed cum haec saepe congeminando refragaretur incassum milesque conclamans magno contentionis fragore minaretur extrema, id imperatur aegerrime ut mixti cum* ARCTOIS BARBARIS *Galli amnem primi omnium penetrarent, ut his magnitudine fluentorum abreptis residuorum pertinacia frangeretur aut si id perfecissent innocui transitus fidentior temptaretur, electique sunt ad id negotium habiles qui maxima prae ceteris flumina transmeare in regionibus genuinis a prima pueritia sunt instituti* etc. in libro Fuldensi est *cum areto isarmaris.* Valesius scripsit *cum arctois Germanis.* intelleguntur sane Germani: sed si suo eos nomine nominare Ammianus voluisset, non additurus fuisse videtur *arctois.*

Libro XXVI cap. 6 5 scribimus *cumque a Ioviano exploratius indagari latibula sua sentiret et ferinae vitae iam fuisset pertaesum (quippe a celsiore statu deiectus ad inferiora etiam edendi penuria in locis squalentibus stringebatur hominumque egebat conloquiis), postremae necessitatis inpulsu deviis itineribus ad Chalcedonos agrum pervenit, ubi, quoniam* EI *illud firmius visum est receptaculum, apud fidissimum amicorum delitescebat Strategium quendam* etc. ubi *ei* posuimus liber Fuldensis *et* habet, quod ut ineptum Gelenius omisit.

Eiusdem capitis paragrapho 8 scribendum est *erat inexorabilis et crudelis et* INTREPIDO *corde* CRVDISSIMVS. Fuldensis liber praebet *in rapido corde rudissimus*, erasa post *in* littera, quae *t* fuisse visa est. quod scripserunt *in rabido corde rudissimus* vel *durissimus* non Latinum est. crudi vocabulo Ammianus saepius similiter usus est.

Paragrapho 10 scribimus *subsidebat ut praedatrix bestia viso quod capi* POTERIT *protinus eruptura:* nam *poterat* nequaquam ferri potest. intellexisse etiam hoc videmus Muellerum.

Paragrapho 18 scribendum est *cum itaque tribunal idem escendisset Procopius et cunctis stupore defixis* TENERETVR *silentium triste, procliviorem viam ad mortem, ut sperabat, existimans advenisse per artus tremore diffuso implicatior ad loquendum diu tacitus stetit, pauca tamen interrupta et moribunda voce dicere iam exorsus, quibus stirpis propinquitatem imperatoriae praetendebat, leni paucorum susurro pretio inlectorum, deinde tumultuariis succlamationibus plebis imperator appellatus incondite petit curiam raptim.* scriptum erat *timeretur,* quod frustra explicatur.



Capite 8 5 scribendum esse censemus *qui ubi Dadastanam tetigit, in qua statione perisse diximus Iovianum, Hyperechium sibi oppositum repente vidit cum copiis, antehac* REI *castrensis apparitorem, id est ventris ministrum et gutturis, cui ut amico Procopius auxilia ductanda commisit.* quod scriptum erat *recte* pariterque quod sequitur *id est ventris ministrum et gutturis* delevit Valerius ut adscripta scilicet a grammatico. sed nullae sunt eiusmodi adnotationes in libris Ammiani: nam homines docti pravo iudicio multa secluserunt quae aut emendanda erant aut ut scripta sunt conservanda. hic vero minime removenda sunt quae optime quadrant: mox enim Ammianus Hyperechium *hominem* dicit *despicabilem.* res autem castrensis intellegitur ea significatione qua dicitur XXX 7 3 — *praefuit rei castrensi per Africam, unde furtorum suspicione contactus* etc. XXVI 1 4 memorat Ammianus *curantem summitatem necessitatum castrensium per Illyricum.*

Cap. 10 8 scribendum est *Euphrasius vero itemque Phronemius missi ad occiduas partes arbitrio obiecti sunt Valentiniani, et absoluto Euphrasio Phronemius Cherronesum deportatur, inclementius in eodem punitus negotio ea re quod divo Iuliano fuit acceptus, cuius memorandis virtutibus ambo fratres principes* OBTRECTABAT, *nec similes eius nec suppares.* scriptum erat inepte *obtrectabant.* causa erroris non obscura est, si tamen in his libris turpissime depravatis causae errorum rimandae sunt. *eius* quod post *virtutibus* in libro Fuldensi legitur olim recte deletum est. aberravit librarius ad *eius* quod mox sequitur, neque aliud quaerendum est, nedum ineptiendum.

Non potest intellegi initium orationis Valentiniani quod legitur XXVII 6 6, *Faustum erga me vestri favoris indicium hunc loci principalis circumferens habitum quo potior aliis iudicatus sum multis et claris consiliorum sociis votorumque auspicibus vobis pietatis officium adgrediar tempestivum, prospera deo spondente, cuius sempiternis auxiliis stabit Romana res inconcussa.* scribimus *Faustum erga me vestri favoris* ⟨INTVENS⟩ *indicium hunc loci principalis* CIRCVMTERENS *habitum* etc. exempli causa *intuens* posuimus, certum esse putamus *circumterens.* Tibullus I 2 95 *hunc puer, hunc iuvenis turba circumterit arta.*

Paragrapho eiusdem capitis 12 haec leguntur, *accingere igitur pro rerum urguentium pondere ut patris patruique collega et adsuesce inpavidus penetrare cum agminibus peditum gelu pervios Histrum et Rhenum, armatis tuis proximus stare, sanguinem spiritumque considerate pro his inpendere quos regis, nihil alienum putare quod ad Romani imperii pertinet latus.* multus est Ammianus in usurpando lateris verbo: sed hic aliud postulat sententia. scribimus *quod ad Romani imperii pertinet* SALVTEM.

Cap. 10 8 oratio hoc modo videtur esse conplenda, *post haec leniore gressu princeps ulterius tendens cum prope locum venisset cui Solicinio nomen est, velut quadam* ⟨OBIECTA⟩ *obice stetit, doctus procursantium relatione verissima barbaros longe conspectos.*

Cap. 12 7 scribendum est *multis post haec ultro citroque dictitatis heiulanteque muliere truces mariti fortunas proditionis acerrimi conpulsores in misericordiam flexi mutavere consilium et spe potiorum erecti secretis conloquiis ordinarunt hora praestituta nocturna reclusis subito portis validam manum erumpere vallumque hostile caedibus adgredi repentinis, ut lateant id temptantes polliciti se* PROVISVROS. scriptum erat *prodituros*, quod repudiandum esse et obscura atque inepta sententia et tota narratio satis docet.

Libro XXVIII 1 57 scribimus VT VNDE *huc fleximus revertamur, is urbanarum rerum status, ut ita dixerim, fuit, at Valentinianus magna animo concipiens et utilia Rhenum omnem a Raetiarum exordio ad usque fretalem Oceanum magnis molibus conmuniebat* etc. in libro Fuldensi legitur *munde*. scripserunt alii *unde*, Gelenius *sed iam unde* mansitque oratio dissoluta et inconcinna.

Cap. 4 9 scribendum esse censemus *tales ubi comitantibus singulos quinquaginta ministris tholos introierint balnearum,* '*ubi sunt* NOSTRI?' *minaciter clamant:* ⟨*si*⟩ *apparuisse subito ignota conpererint m*⟨*ancipia*⟩ *aut oppidanae quondam prostibulum plebis vel meritorii corporis veterem lupam, certatim concurrunt* etc. scriptum erat *nostrum*. quid requiratur ea docent quae superbo fastui opponuntur.

Libro XXIX 2 24 non dubitamus scribendum esse *ratio enim eadem est ubique recte secusve gestorum, etiamsi magnitudo* SIT *dissimilis rerum.* liber Fuldensis *ubi* habet, ex quo quod fecerunt *ubique* multo melius est quam quod Gelenius dedit *ibi*. tum inepte scriptum erat *desit*.

Quae secuntur ita scribimus, *philosophum quendam Coeranium, haut exilis meriti virum, ea causa tormentorum* INMANITATE MVLTA *occidit quod ad coniugem suam familiariter scribens id sermone addiderat Graeco,* σὺ δὲ νόει καὶ στέφε τὴν πύλην, *quod dici proverbialiter solet ut audiens altius aliquid agendum agnoscat.* legitur in libro Fuldensi *inmanitatem ultum*. tum idem liber ΤΥΛΗΝ habet, quod Casaubonus correxit. *agendum* idem est atque *actum iri*, more loquendi quo Ammianus saepe utitur.

Cap. 3 4 haec vulgata sunt, *praepositum fabricae oblato thorace polito faberrime praemiumque ideo exspectantem ea re praecepit occidi quod pondus paulo minus habuit species ferrea quam ille formarat.* sed ex libro Fuldensi haec adferuntur *occideri ad p̄i quod*. inde eliciendum esse videtur OCCIDI DIRITATE PARI *quod*. aliud praecessit diritatis exemplum. deinde video Muellerum scite coniecisse scribendum esse *firmarat*.

Eiusdem capitis paragrapho 6 scribimus *Africanus, causarum in urbe defensor adsiduus, post administratam provinciam ad regendam aliam adspiravit, cuius suffragatori magistro equitum Theodosio id petenti subagresti verbo* PIVS RESPONDIT IMPERATOR, '*abi*' *inquit,* '*comes, et muta ei caput qui sibi mutari provinciam cupit,*' *et hoc elogio perit homo disertus ad potiora festinans ut multi.* est in libro Fuldensi *pilis. responderatur*. eadem acerbitate qua pium adpellat Ammianus imperatorem saevissimum XIX 2 17 laudes dicit Valentis probra inmania. *respondit imperator* nuper recte scriptum est.



Cap. 5 23 oratio ita videtur esse integranda, *quos scientes forsitan admonemus hanc cohortem et facto* ⟨FVISSE⟩ *et exemplo adversam.*

Cap. 6 5 haec vulgantur, *denique Gabinium regem ne quid novaretur modeste poscentem ut adsensurus humanitate simulata cum aliis ad convicium conrogavit: quem digredientem post epulas hospitalis officii sanctitate nefarie violata trucidari securum effecit.* postrema, in quibus Fuldensis liber *efficit* habet, non intellegimus. Ammiani esse videtur *trucidari* SECVRE FECIT. scripsimus non *securi*, sed *secure*, quoniam mutatio ita fit paullo probabilior. habent eam formam cum alii tum Apuleius Met. VIII 30 probatque Consentius in Arte p. 2038.

Libro XXX 2 3 haec tradita sunt, *glorioso proposito contrariae regis litterae hieme iam extrema perlatae sunt vana causantis et tumida: adseverat enim non posse semina radicitus amputari discordiarum nisi intervenissent conscii pacis foederatae cum Ioviano, quorum aliquos vita didicerat abscessisse.* non debet probari *adseverat* quod Fuldensis liber habet. scripserunt *adseverabat*. aut hoc recipiendum est aut adhibito mutationis genere saepe necessario ADSEREBAT.

Cap. 8 6 scribendum esse videtur *haec forsitan Valentinianus ignorans minimeque reputans adflicti* SOLACIVM *status semper esse lenitudinem principum poenas per ignes augebat et gladios: quod ultimum in adversis rebus remedium pietas repperit maiorum, ut Isocratis memorat pulchritudo, cuius vox est perpetua docentis ignosci debere interdum armis superato rectori* QVASI *iustum quid sit ignoranti.* in libro Fuldensi est *solacio statutem peresse*, quae egregie correxit Gelenius: praestare tamen videtur *solacium* quam quod scripsit *solacia*. tum in *quasi* mutavimus *quam*, quod sententia non admittit. eandem emendationem Valesius fecit XVI 10 1: quamquam non intercedimus si quis praetulerit utrobique *tamquam*. ceterum mirabiliter falsus est Valesius cum Isocratis sententiam sibi visus est invenisse in Panathenaico putavitque similia esse quae plane sunt dissimilia. multa ferebantur Isocratis apophthegmata, inter quae referendum esse videtur quo Ammianus utitur.

Libro XXXI 1 4 legitur *aquila gurgulione confecto exanimis visa est iacens, cuius mors publicorum funerum aerumnas indicabat amplas et pervulgatas.* sed *aquila* Valesii est, Fuldensis liber *uagula* habet. latere videtur VACCVLA.

Cap. 4 11 scribendum est *cum traducti barbari victus inopia vexarentur, turpe commercium duces invisissimi* AGITARVNT *et quantos undique insatiabilitas colligere potuit canes pro singulis dederunt mancipiis, inter quae ducti sunt optimatum.* scriptum erat *cogitarunt*. postrema quomodo conplenda sint certo dici non potest: sed vere fortasse Valesius ante *ducti* addendum putavit *et filii*.

Cap. 10 3 scribimus *ex hac natione quidam inter principis armigeros militans poscente negotio reversus in larem, ut erat in loquendo effusior, interrogantes multos quid ageretur in palatio docet arcessitu Valentis patrui Gratianum orientem versus*

*mox signa moturum ut duplicatis viribus repellantur plagarum terminalium adcolae ad* ROMANARVM RERVM *excidium coniurati.* nam minus aptum esse videtur *Romanorum verum.* XXVIII 3 2 legimus *fusis variis gentibus et fugatis quas insolentia nutriente securitate adgredi Romanas res inflammabat.*

Capite 12 8 seclusa syllaba quae orationem turbat et uno verbo correcto scribendum est *et dum necessaria parabantur ad decernendum Christiani ritus presbyter, ut ipsi appellant, missus a Fritigerno legatus cum aliis humilibus venit ad principis castra susceptusque leniter eiusdem[que] ductoris optulit scripta petentis propalam ut sibi suisque, quos extorres patriis laribus rapidi ferarum gentium exegere discursus, habitanda Thracia sola cum pecore omni* CONCEDERENTVR *et frugibus.* scriptum est *concederetur,* idque servatum est *sola* substantivo non intellecto.

Eiusdem capitis paragrapho 11 fortasse scribendum est *decursis itaque viarum spatiis confragosis cum in medium torridus procederet dies,* OCTAVA *tandem* ⟨HORA⟩ *hostium carpenta cernuntur.* scriptum est *octavo.*

Cap. 13 4 scribimus *ruinaque confligentium mutua humo corporibus stratis campi peremptis impleti sunt* etc. in Fuldensi libro legitur *ad humo corporis,* ex quo Valesius *ac humo corporibus* fecit, recte partim, partim non recte: nam *ac* ne Ammianus quidem ante vocalem aut *h* litteram posuit. omittendum erat *ad.*

Eiusdem capitis paragrapho 11 scribendum videtur *super his obstruebant itinera iacentes multi semineces cruciatus vulnerum* CONQVERENTES. liber Fuldensis *inconferentes* habet. non bene hoc mutarunt in *non ferentes,* ridicule autem nuper scriptum est *iniquum ferentes.*

Cap. 15 11 scribendum est *ideoque mandatum est ut nervis ferrum lignumque conectentibus ante iactum incisis emitterentur arcu sagittae, quae volitantes vires integras* SERVABANT, *infixae vero corporibus nihil vigoris perdebant aut certe, si cecidissent in vanum, ilico frangebantur.* quod scriptum erat *inservabant* ortum est ex verbi praecedentis aut sequentis initio. qui solus inservandi verbo utitur Statius longe alia utitur significatione.

Multa possumus addere. quae in aliud tempus differimus ne lectores si qui sint nimis longo commentario defatigemus.